



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilium Romanum II. Svb Damaso, In quo Auxentius Mediolanensium  
episcopus Arianus deponitur, & Vrsicinus schismaticus damnatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO CHRISTI 369. CONCILIVM ROMANVM II.

S V B D A M A S O,

In quo Auxentius Mediolanensium episcopus Arianus  
deponitur, & Vrsicinus schismaticus  
damnatur.

N O T A.

*Concilium Romanum.] Post relegatum auctoritate Constantii imperatoris & Mediolanensis Conciliabuli Dionysium, substituit Auxentius, homo ne Romanae quidem linguae, sed tantum hærefoes peritus, ingenio vafer, serpens veternotus & callidus, hæresin suam Mediolanensibus ciuibus perosam, Ariique nomen ipsis excravile callide occultans, adeo ut ab Eusebio Vercellensi aliisque catholicis episcopis exagitatus, imperatoris edictum pro se extorserit. Quod cum Hilarius ferendum non putaret, deceptumque imperatorem doleret, Mediolanum, vbi agebat imperator, profectus est, ut coram imperatore Auxentii fraudes & dolos detegereret: sed cum ille se contra denuntiationem Hilarii catholicum esse respondisset, Hilarius, ut turbarum auctor, editio imperatoris iussus est Mediolano discedere. Hac de re, post encyclicam ad omnes fideles decimo anno post Ariminense Concilium scriptam (hanc Hieronymus libellum contra Auxentium nominat) Hilarius merito conquestus, omnes fideles adhortatur, ne Auxentio communificant. Interea Auxentius communione ignorantis populi, & imperatoris patrocinio fretus, dictis factisque in Eusebium Vercellensem, Philastrianum, Brixianum, aliosve ecclesiæ catholicæ episcopos, quos sibi aduersarios passus fuerat, insultabat, formulamque fidei Ariminensem, Nicæa in Thracia constitutam, Illyricis episcopis promulgabat. Damasus igitur Romanus pontifex per Athanasii aliorumque Ægypti episcoporum, de damnando & deponendo Auxentio, synodalem epistolam admonitus, Rome Concilium hoc congregauit; atque ne latius serperet lethale virus, quod lèto tabo proximos quosdam in Illyrico episcopos infecerat, nonaginta episcopos ex Italia & Gallia conuocauit, qui loco prædicto, anno Christi 369. qui est pontificatus Damasi III. & imperii Valentiniani & Valentis sextus, congregati, Auxentium Mediolanensis ecclesiæ inuasorem Ariatum condemnarunt, episcopatu deposuerunt, atque sub pena anathematis vitari decreuerunt. Ad Illyrici episcopos, quos ille magna ex parte seduxerat, synodalem miserunt epistolam, qua Auxentium pontificia & synodali sententia condemnatum & excommunicatum deuitare, & sub pena excommunicationis & depositionis ad catholicam veritatem redire monentur. Decreta huius Concilii*

*Concil. Tom. 3.*

P p ij

Auxentius quis.

Locus Cō-

cilii.

Numerus  
episcopo-  
rum.

Tempus &  
acta Con-  
cilii.

300 DAMASVS CONCILIVM VALENTINIANVS IMP.

confirmandur, teste Athanasio ad Epictet. Diuersis Conciliis per Galiam, Hispanias & Rome celebratis, omnes qui in eo Conuentu fuere, istos lucifugas, qui se etiamnum occultant, & que Arii sunt sapient, Auxentium dico Mediolanensem, Vrsacum, Valentem & Caium Pannonem, communi calculo, unius Spiritus incitatu, anathemate percusserunt. Auxentius quāquam synodali iudicio hoc anno condemnatus esset, non tamen ante 374. annum Christi sede Mediolanensi exturbari potuit, ideo quod imperator per summam nequissimi hominis simulationem deceptus, illi de hæresis infamia calumniam inferri existimaret. Nisi enim eum summa imperatoris suffulisset auctoritas, quo pæcto ipse tot Conciliis damnatus, & a populo Mediolanensi ut hæreticus derelictus, subsistere potuisset? Eumdem initius quoque magistratibus hanc sedem vsque ad obitum detinuisse, ex eo exploratum videri potest, quod Ambrosius a Probo ad eam prouinciam administrandam missus, agens Mediolani, eum quem execrabatur, pati coactus fuerit. Post quinquennium Auxentie viuis sublato, Ambrosius, cui Probus præfecturam administraturo dixerat: *Vade, age non vt index, sed vt episcopus*: diu multumque relictus, in episcopatu Mediolanensi sufficetus fuit. In hac eadem Synodo Vrsicum schismaticum, crebrius in Damasum studia renuantem, rursus damnatum fuisse, constat ex epist. Valentiniani imperatoris apud Baron. anno prædicto.

## EPISTOLA SYNODALIS EX ROMANO CONCILIO AD EPISCOPOS ILLYRICI.

*Episcopi ad sanctum Concilium Romæ conuocati, Damasus, Valerianus, & ceteri, dilectis fratribus episcopis qui sunt in Illyrico, in Domino salutem.*

Exstat apud  
Theodor.  
lib. 2. cap.  
22. Sozom.  
lib. 6. cap.  
23.

ET SI nobis pro certo persuasum est, sacerdotes Dei sanctissimi, vos sacrosanctam fidem nostram, quæ doctrina apostolorum fundata est, firme retinere, eamque populo prædicare, quæ certe a decretis patrum, a quibus pars est reliquos erudiri, nulla ex parte discrepat: tamen significatum est nobis a fratribus, qui in Gallia & in agro Venetorum habitant, nonnullos ad hæresim amplexandam omni studio incumbere. Quod quidem malum ne existat, non modo præcauere debent episcopi, verum etiam quicumque errores, vel quorundam iniicia, vel simplicitate eorum, qui peruersas interpretationes fecuti sunt, in ecclesiam inuecti videntur, his se op-

ANNO CHRISTI 369. ponere, Concilioque prouidere, ne deinceps in varias discrepantesque doctrinas denuo prolabantur imperiti, sed quoties dissentientes opiniones ipsorum auribus inculcatæ fuerint, firme patrum sententiis adhærescant.

Hac de causa a nobis decisum est, vt Auxentius nominatim condemnetur. Quare omnes legis diuinæ doctores, qui ditioni Romanæ subiiciuntur, ea quæ legis sunt sapere, & fidem variis doctrinis nequaquam contaminare debent. Etenim vbi primum vitiosa Arianorum doctrina & blasphemia vigere inciperet, quæ etiam hoc tempore latissime serpit; trecenti decem & octo episcopi, patres nostri, habito Nicææ Concilio, hoc muro ad arma diaboli arcenda fidem nostram cinxere, & hoc antidoto venena depulere mortifera, sic vt crederetur, vnam esse Patris & Filij substantiam, vnam deitatem, virtutem vnam, vnam potentiam, vnam figuram; quinetiam Spiritum sanctum vnam eamdemque cum illis substantiam habere & subsistentiam. Eum autem qui aliter sentiret, a nostra communione iudicarunt alienū. Quam salutarem decisionem & decretum plane venerandum nonnulli postea aliis nouis decretis violare labefactare que studuerunt.

At vero initio, quod peccatum erat ab illis, qui Arimi-  
ni formulam fidei Concilii Nicæni nouare retrahere  
coacti sunt, aliqua ex parte propterea sarciebatur, quod  
se disputatione alio tempore habita fatebantur a veritate  
abductos, quodque suam fidei formulam nequaquam  
sententia Nicæni Concilii aduersari cogitabant. Siquidem  
numerus episcoporum, qui erant Arimini in vnum  
congregati, præiudicium vim habere non debet: præsertim  
cum formula illa composita sit, neque episcopo Romano,  
cuius sententia præ ceteris omnibus expectanda erat;  
neque Vincentio, qui tot annis episcopatum integre ges-  
serat, neque aliis eidem consentientibus: cumque etiam  
(quod est omnium maximum) illi ipso, vti ante diximus,  
qui in fraudem illeacti, a veritate deflexisse visi sunt, & post  
ad meliorem mentem denuo traducti, plane testentur,  
hanc formulam sibi magnopere displicere.

Itaque vestra integritas manifesto videt, hanc fidem so-  
lam, quæ auctoritate apostolica Nicææ stabilita est, firme

Auxentius  
Romæ dä-  
natus.

Excommu-  
nicatio-  
nem & pri-  
uationem

Damasus  
communi-  
tur.

perpetuo retinendam esse. Atque de hac ipsa fide tum episcopos orientis, qui se de catholica ecclesia esse profidentur, tum occidentis etiam episcopos nobiscum una gloriari constat. Porro autem pro certo credimus, eos qui alia opinione tenentur irretiti, propter suum conatum breui fore & a nostra segregatos communione, & nomine episcoporum priuatos, ut tandem populo errore ipsorum liberato, detur respirandi locus. Nam multitudinis error tamdiu nullo modo corrigi poterit, quamdiu episcopie eodem tenentur implicati. Quocirca facite, ut vestra reuerentiae iudicium cum omnium Dei sacerdotum iudicio, cui vos firme & constanter adhærere credimus, omnino consentiat. Quod si fiat, eamdem vobiscum regam credendi viam nos quoque debemus insistere. Vestra caritas quæso ad nos rescribat, ut inde lætitiam capiamus. Valete fratres honoratissimi.

---

### CONCILIVM ROMANVM III. b S V B D A M A S O,

<sup>c</sup> In quo Apollinaristarum hæresis damnata.

#### N O T Æ.

Causa &  
locus Con-  
cili.

<sup>a</sup> Concilium Romanum.] Causa huius Romæ celebrati Concilii hæc est. Vitalis, ut supra in notis ad epistolam primam diximus, in Christo carnem & mentem fuisse dolose confessus (per mentem diuinitatem Christi intelligebat) in communionem catholica suscepimus fuerat.

Sed cum fraus & dolus impostoris hæretici animaduersus fuisset, Damasus (ait Gregor. Nazianz. epist. 2. ad Hellen.) cum postea rectius edocitus fuisset, simulque in pristinis ipsoſ expositiōnibus perfare audiisset, eos ab ecclesiæ cœtu abdicauit, fideique libellum (oblatum scilicet ante Romæ) cum anathematismo delenit. Ita igitur hoc Concilio cum ipsa hæresi hæresis auctor Apollinaris, Vitalis & Timotheus eiusdem discipuli ac sectarii merito condemnati. Qua de re hæc Sozom. lib. 6. cap. 25. Hanc quidem Apollinaris hæresim apud multos serpere Damasus episcopus Romanus, & Petrus episcopus Alexandrinus, certiores facti, primi omnium Concilio Romæ conuocato eamdem alienam esse ab ecclesiâ catholica pronuntiarunt. Apollinarem cum Timotheo eius discipulo hac Synodo condemnatum fuisse, Damasus episcopis orientalibus, per literas ad eos scriptas, & supra ex Theodoret.

Acta Con-  
cili.